

rias qualitates etiam in gradu intenso esse in eodem subiecto. Num. 22. Afferuntur rationes contra resolutionem, & reselluntur. Num. 23. Nomen, natura, & naturale pluribus sumuntur modis. Num. 24. Proponitur, & explicatur definitio natura. Num. 25. Osenditur, quod & materie, & forma proprie conuenit natura. Num. 26. Deciditur, quod compositum aliquo modo dici possit natura. Num. 27. Determinat author, quod ars potest efficere opera natura in virtute aliena. Num. 28. Non est impossibile verum aurum fieri arte chymicā.

Partitio I.

An materia sit de essentia compositi, & de prestantia formæ?

ARecentioribus sub dictis terminis solet proponi præfens difficultas: ab antiquioribus verò sub alijs examinabatur, nimirum an forma sit tota quidditas compositi; quæ tamen duo in idem coincidunt, si enim materia non sit de essentia compositi, forma erit tota quidditas compositi; si sit de essentia, iam forma non erit tota quidditas compositi, quia præter eam necessaria erit materia.

De hac re agunt Physici, vt Achillinus lib. 10. de Elementis. Aquarius disp. 3. de quidditate mat: Fauentinus theoremate 28. Mercenarius in sua defensione peripatetica de principio indiuiduationis. Metaphy. Aueroës, & Auicenna, de Flandria 7. Metaph. quest. 6. passim in articulis dicte questionis, Soncinas 7. Metaph. quest. 7.

Aueroës, & eius sectatores tenent formam esse totam quidditatem, materiam verò esse velut vehiculum formæ, quam opinionem problematicè defendit Soncinas, Auicenna verò, & cæteri magis communiter Philosophi quidditatem compositi coalescere ex materia, & forma asserunt, & proinde materiam esse de essentia, & quidditate compositi, in hoc quoque conueniunt Thomistæ, & Scotistæ, vt videre est apud Aquarium Thomistam, & Fauentinum Scotistam.

DECISIO.

Num. 1. Sumendo quidditatem pro essentia determinat author quod materia est pars quidditatis. Prob. primo.

Resolutio prima: Si nomine quidditatis intelligatur essentia ipsius compositi, certè forma non est tota quidditas compositi, sed materia est etiam de quidditate, & essentia compositi.

Probatur primò: Quod est pars substantiæ, & essentiæ, est pars quidditatis; sed materia est pars substantiæ compositæ, ergo est pars quidditatis talis substantiæ. Minor est certa apud Physicos: maior verò est Aristotelis 5. Metaph. vbi sumit pro eodem substantiam, & quidditatem, & 7. Metaph. ait, quod quid erat esse significare substantiam, ibidemque textu 20. hæc verba habet: Quod quidem igitur definitio concludit, quæ quidem est ipsius, quod quid erat esse ratio, & quod quid erat esse substantia, & essentia est.

Pro cuius maiori intelligentia nota ista quinque esse eadem realiter, differreque tantum se.

cundum diuersos modos explicandi, diuersosque respectus, & sunt essentia, quidditas, quod quid erat esse, forma, & natura: tunc enim dicitur essentia, per quod res constituitur in proprio genere, & propria specie, & dicitur quoque illud, quod significatur per definitionem. Quidditas est, per quam responderetur ad interrogationem factam per quid: Quod quid erat esse, seu quod quid est esse (hæc enim duo pro eodem sumi debent) est id, per quod res habet esse quid: Forma est illud, per quod significatur perfectio, vel certitudo cuiusque rei: Natura, prout illa res importat radicem operationis. Alij dicunt, quod natura sit illud omne, quod quocunque modo intellectu capi potest.

Secundò probatur resolutio: Omne quod est, vel est quidditas, vel habens quidditatem, vel pars quidditatis: sed materia non est tota quidditas, vt patet, nec est habens quidditatem, quia non est compositum, restat ergo vt sit pars quidditatis.

Respondet Achillinus nec esse quidditatem, nec habens quidditatem, nec partem quidditatis: sed esse subiectum quidditatis. Insto tamen: subiectum quidditatis, quod tamen non est quidditas, est quid extrinsecum quidditati, sicut paries est quid extrinsecum albedini, quia non est albedo, nec quid albedinis; sed materia non est extrinseca rebus naturalibus, cum sit principium earum etiam quidditatiue sumptarum, ergo est de earum quidditate.

Tertiò: Illud est pars quidditatis, quo non posito non haberetur tota quidditas rei: sed non posita materiæ res naturales non habent totam suam quidditatem, ergo materia est pars quidditatis. Confirmatur: Illæ sunt partes quidditatis, in quas resoluitur tota quidditas rei: sed non modò in formam, verum etiam in materiam resoluitur essentia, & quidditas rerum naturalium, ergo materia est pars quidditatis earum.

Quartiò: Si sola forma esset essentia, & quidditas rei naturalis, sola anima esset totus homo, & sicut verum est, quod anima rationalis nunquam moritur, ita nec homo vnquam moreretur.

Quintiò: Si materia non esset pars quidditatis, definitio Physica hominis, quod scilicet dicatur compositus ex anima rationali, & corpore, esset per additamentum, vt loquuntur Philosophi de definitionibus accidentium, & sic esset per modum definitionis accidentis.

Respondet Achillinus, licet materia sit extra quidditatem, non tamen esse extra substantiam compositam: imò est eius pars. Sed insto: Vel est intra substantiam compositam accidentaliter tantum, vel essentialiter, & quidditatiue. Si secundum, habeo intentum, & primum, ergo posset esse aliqua substantia composita Physicè sine materia, quod repugnat: cum ergo sit intra substantiam naturalem sensibilem, necesse est, vt sit de eius quidditate. & essentia, in eo enim quod sit subiectum quidditatis partialis, scilicet formæ, non tollitur ab ea, quod sit etiam pars quidditatis respectu totius substantiæ naturalis compositæ.

Sextiò: